



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 2. Qui non deligit, manet in morte.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

PRINCIPIUM II.

Qui non diligit, manet in morte.

Sensus.

Hoc est, qui vel aliquid agit, quod dilectioni & amici-
dei contrarium est, vel certe non elicit actum dilectio-
nis, quando ad id præcepto adstringitur, manet in
morte, aut non acquirit, gratiam, si nunquam habuit;
autem perdit, si eam prius habuit.

Authoritas.

Desumptum est ex S. Scriptura 1. Joann. c. 3. & ex com-
muni sententia Theologorum.

Ratio.

Quia cum Deus sit summum bonum, & ultimus finis
naturalis, æquum est, ut nunquam odio habeatur ab
hominibus, sed, cum in hac vita continuo dilectionis actus ex-
erceri non possit, saltem certis temporibus ejusmodi actum,
quod à Deo exigitur, exerceat.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Præceptum dilectionis Deut. 6. pro-
batum, quo Deus dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex
toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, &
ex totis viribus tuis*: non esse impossibile, cum S. Joanne te-
stetur, c. 5. Hæc sit caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus,
quæ mandata ejus gravia non sunt.

Deducitur 2. Juxta probabilem Laymanni l. c. c. 2. & a-
liorum sententiam probabile esse obligari hominem, ut post
rationis usum, & ultimum finem supernaturalem
sequatur non diu differat, dilectionis divinæ actum elice-
re, ut S. Thomas ait, præceptum de Deo diligendo
sequitur tanquam primum principium ad servandas
mandata in Decalogo contentas, atque adeo merito ho-
minem diu morari debeat, quin hoc principium ponat.

Deducitur 3. Etiam tunc probabiliter ad actum dile-
ctionis exerceendum hominem obligari, quando periculum
imminet, ne alioqui in odium Dei labatur, aut à tenta-

Kk

tionis

tione superetur. Item quando ob Confessarii defectum actum contritionis eliciendum obligatur.

PRINCIPIUM III.

Caritas incipit à seipso.

Sensus.

Hoc est, qui seipsum ordinatè cupit diligere, debet ipsi potius consulere, & providere, quàm alteri, si non potest utrique simul providere, nisi damnum illud, quod patitur alteri potius, quàm sibi providendo, commodo longè magis compensetur.

Authoritas.

Desumptum est ex Glossa supra cap. nisi specialis. & author. & usu pallii. Item super cap. licet. 3. de supplic. negligentia Prælat. illudque defendit Barbosa axiom. cum plurimis aliis.

Ratio.

Quia, quò quisque conjunctior est alicui, tanto arctius vinculo obligatur ad illi subveniendum; constat autem minime alicui magis conjunctum esse, quàm sibi juxta commune adagium, quo dicitur: *Proximus quisque sibi*; & ordinata caritas dicitur sibi ante omnes consulendum; quod Christus ipse Marc. 8. indicavit, dum dixit: *Quid proderit Homini, si totum mundum lucretur, & detrimentum suum me sua faciat?*

Praxis.

Hinc deducitur 1. Quemlibet obligatum esse, seipsum potius gratiam & gloriam velle, quàm reliquis omnibus; quia norma & regula diligendi Proximum est amor sui ipsius juxta illud Christi Matt. 22. *Diliges Proximum tuum sicut teipsum*; atque adeò merito dilectio sui ipsius præferenda est, uti S. Thymas 2. 2. q. 26. 2. 4. & cum Suar. Valent. Coninck & alii docent.

Deducitur 2. Non posse aliquem in communi peccato vitam suam alienæ postponere, si sit in peccato mortali constitutus, & jacturam vitæ æternæ timeat, uti iterum con- niunt Theologi.